Markiewicz Stanisław: Clypeus militantis ecclesiae.

CLYPEUS
MILITANTIS ECCLESIÆ,
D. THOMAS AQUINAS,
Doctor Angelicus,

Ad Sacras Ædes
SANCTISSIMÆ TRINITATIS,
RR. PP. Prædicatorum, Conventûs Celeberrimi Cracov:
Recurrente Solenni ejus die,
In lectissima Magnorum, & eruditorum hospitum frequentia,
A

M. STANISLAO MARKIEWICZ
In Alma Vniversitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore,
& in Gymnasio Myszkoviano Pinczoviensi,
Poëseos Professore,

Oratione Panegyrica,

CELEBRATUS.

Annô, quo
arMa repressa, DeCet frangant se robore sCVtI.
Die 7. Martii

CRACOVIÆ.
Typis Nicolai Alexandri Schedel S. R. M. Ordinar: Typogr:

IN GENTILITIVM INSIGNE ILLUSTRIS & MAGNIFICI DOMINI.



Aurea Sidereum currens Aurora per axem,
Flammigeros Solis ponè ciebat equos.
Cynthia ſed Phæbum bigis prælapſa citatis,
Auroram nitido ſtrinxit amica ſinu.
Prævia ſis (inquit) mecum; Gołuchovius, augem
Ibit in excelſam, Sol potior geniô,
Viderat Orion, Clypeumque tetendit: & illi
Arriſêre Deæ: luce refulget abhinc.

ILLVSTRI
& MAGNIFICO DOMINO
D. ALEXANDRO
DE GOŁVCHOW
GOŁVCHOWSKI
Camerario Vislicensi, Notario Castrensi Neocorcinensi, Patrono suo MVNIFICENTISSIMO.

V*Mbratilis ingenij mei partus, quo in formam Clypei ducto,* Divinissimi Thomæ Aquinatis *præconia laudum adumbravi; non aliter lucem mereri potuit, nisi sublimi Tuo Astro insignitus.* Illustris & Magnifice Domine. *Conscia quippe tenebrarum sepia, dum nihil festivum ab Eloquentia sibi vendicare valet, eadem Cleantis lampade exuri & absumi debuit, qua lucubrationi allucente, crevit in opus volantis cum aura encomij, ni Gentilitiæ Tuæ Auroræ Cynthiaq; lumen impetrasset, cujus splendore perfusa, jam clarè legi potest. His ergo paginis, ita serenatis, fugientia cum laudibus* Divi Thomæ *verba, moratus, hoc summa animi voluptate percenseo, quod meo Clypeo, æquè ac Orionis, Perseiq; Scuto, contigit inter Astra referri, & Stellis colatus Diomedia Clypeus, infra meum cadit opus, in quo Tuum Illustrius & vivum, renidet Iubar. Si res illa fide laboret, quod quondam Aurora, Memnoni suo, Clypeum à Vulcano ut & Thetis Achilli impetravit: hoc jam rem veritati asseret, quod Aurora Tua Academicis Musis semper amica, & in me pretioso gratiarum rore depluens, hunc Clypeum à me Artifice sibi oblatum, omine in immensum meliori, in te contulit, quem dignè loqui, si homines non suffecerint, Memnonis etiam statuæ, radio Phæbi animata, loquantur, erit necesse. Tu quippe omni sidere major, totus intra Te Illustrior, quàm videri possis, non minus linguas laudantium modesto animi moderamine avertens, ut Phæbus, oculos intuentium, ita tamen circumfusæ tibi, in omni gestu, Gratiæ, radio, ad te videndum cunctos allicis, quasi novum sidus admirationi & disceptationi eruditorum, oriaris. Præfers certè, & vultu & Stemmate, illam Stellam, quæ ex Antiquissima Domo Tarnoviana, Orta, Polo Poloniæ gratissima, pariter in sinu Patriæ, ac suæ Cynthiæ, recumbit: & Te Illustrissimis Familijs* Granouiorum, Pileciorum, Sieniaviorum *jungit. Non eget tamen communicato ab his lumine* Domus Goluchoviana, *per se satis Illustris, Cælo vicina, & sidereas Olympi arces, in splendore, & motu virtutis, perenni, æmulata. Numera stellas si potes, hic vel Ioves, Planetis majores, in* Illustrissimo & Reverendissimo Goluchovio *Episcopo Vladislaviensi, in* Illustrissimo Abrahamo Goluchovio *Cvpitaneo Vislicensi, Stezycensi, Viro meritis & fortunâ, incomparabili: vel Martes,* in Illustrissimo Casimiro Goluchowski, *Capitaneo Radomiensi,* in Abrahamo Goluchowski *Præfecto stabuli M. D. Lithuaniæ,*

in

in Andrea Gołuchowski, Vexilifero Podoliensi, Militaribus doreis incly. a to, in Paulo Gołuchowski, Iudice Terrestri Stezycensi, Avo, in Alberto Parente, ad invidiam nunc radiantium, Michaëlis Venatoris Bielensis, Alexandri, Camerarij Vislicensis, Alberti Tribuni Oświęcimensis, Fratrum, enumerabis. Taceo cognatos splendores à Ziolkievijs, Gniewoßyis, cæterisq; Senatorias Curules implentibus, Gołuchovianis Astris, accedentes. Numero profectò Illustrium Virorum, hæc Familia (quæ de Magna Gołuchow, in Maiori Polonia, maxima Orbi prodijt) Firmamentum ipsum exhibet, cujus Tu Illustris Domine Atlas firmißimo animi robore præstans, minimè offenderis, si meum, non Persei Clypeum, respicis. Inter Tuos Macedones, Tu Alexander, in omni actu Magnus, & Sidus primæ Magnitudinis, ubi ad applausum Tui seculi, in Hippocrene scientiarum lotus fueris, exin, cruento accensus Marte, illum Horizontem secutus es, in quo Byzantinus Oriens, ad disijciendum Fidei Christianæ lumen, fulmina spargebat, bicipiti Aquilæ, ministeriū, ab Iove commißum, præripiendo. Noluit aliter Bosphorana nubes, funesta tempestate cuncta involvens, Austriacos serenare fines, nisi Tuum Martium Sidus, in rumpenda illa, emicaret. Ubi Tu aliquot annis, inter Cæsareanos Miles fortißimus, Germanicus alter Lechiæ, & Polonæ dexteritatis exemplum, palmas omnes, & bellicas, expugnatarum urbium coronas, meruisti, planè terror Orientis, Alexander. Inde plusquam cum Elea Palma regreßus, ad vectorias eruditus, exciperis, Martis Poloni, illo plausu, quo postea, sive ex velitatione, singulari Heroum experimento, sive ex permisto conflictu, gloriosa illi trophæa retulisti, bellatoris rigorem, Mecænatis gratiâ, mirè temperando. Inter commißa publica munia, ubiq; Os Musarum, cor Charitum, & ocellus sapientiæ, spectaris, & summorum in Republica Virorum, summam æstimationem mereris, & encomia. Delegatus Tribunalitiæ Themidi Iudex, oracula semper locutus, Astræam ferme de Cælo, ad Tuum Gentilitium Sidus, deduxisti, & Iustitiæ gladiô armatus Alexander, Gordios perplexarum causarum nodos, tam facile solvisti, quàm Tibi semper proprium est, obstrusa quæq; exasciato ingenio, perstringere, penetrare. Consilio, ipsos rerum eventus præveniente, Consus, discursu Euripos exhauriente, Stagyrita, cuncta laudum Tibi vendicas merita; quorum singula alios satis decorarent. Et nunc ingenti vulnerum hiatu, distractæ, & sibi ereptæ Patriæ, oculatior Argus, apprime intelligens, quid cujusque Mercurij fistula solet, salutaria semper suades, fieretq; vel ex Tuo genio párta, medela; si consilia sana, inter strepitum armorum poßent exaudiri. Circumsonante igitur ubiq; Classico, & Tu hunc Clypeum sume: Patrocinare elogio Divi Thomæ, & ille Tibi patrocinabitur, fietq; id quod Clypeus olim, Clyti ad Granicum amnem, Magno factus Alexandro. Meruit Clypeus Thomás, ut ad Lumen Gloriæ, instellante Regia, reciperetur: hoc quoq; elogium ejus, similem quærit sortem, ut sub radio Tuorum Siderum locum illi concedas: sic Tibi tutò crescet ad splendores, Tuus Thomas; sic tu, ex omni fatorum nubilo, ad Illustrißimos in Republica eluctabere honores; quos Tua merita spondent, & ego à DEO precor.

ILLVSTRIS & MAGNIFICÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus servus.
M. S. M. Ph: D.

ORATIO

NOndum oratio mea se in primos eloquij solvit anhelitus, nondum de statera animi, accommoda huic loco verba emetiri orsus sum; cùm funesti, & quales Patriæ nostræ cor eripiunt luctus, pectus meum inuaserunt, totoq; ore lamentabilis plangor sedit; qui cessum ire, & remitti nescius, etiamnum tenuem suadam, inter querulos singultus captiuam, vestris sistit obturibus, & ex suo genio loqui jubet. A. S. Non tangunt quippe animum, sed adamantinâ ærumnarum catenâ stringunt; non vellicant sensum, sed ferali ictu sauciant, tanto cladium fragore incumbentia Poloniæ fata, & ipsas viscerum fibras, lacerantes, adactorum malorum catapultæ, ubi Gradivus hinc altè sublatum consurgit in ensem, & exitiales ciet furores: inde dira Parcarum Mater Necessitas, à Stygijs undis caput exserens, corrupto Cæli tractu, omnes tres Natas, ad rumpenda mortalibus stamina, compellit. Admisimus, non detrectante affectu, in campos Poloniæ, hunc & illum exoticum Martem, quasi nobis securis in Orchestra spectatoribus, alienas acturum scenas, en tanto tempore, tristis suæ Tragædiæ prologum agit, nos interim spoliat, vt suos ornet ludiones cinædosq;. Cùm nos segnes Martem alibi ciere grauaremur, Mars hîc dilectam sibi quondam sobolem reminiscens, totus in nos cum gelido suo Hebro & Hæmo commigravit, Rhodopen hîc etiam, sterili saxo rigentem, si non inuenit, & uastas Thraciæ solitudines, tam diuturno ferri contagio, facturus. Nescio quo ab ictu, gravi & ferra manu passim protegimur, sed ipsa protectione obruimur, casumq; Tarpeiæ scutis Sabellis obrutæ luimus, insontes Capitolinæ proditionis. Vincimur non quidem inuadente nos Punico fulmine, quod quondam totam Saturniam concusserat, sed Punica arte prosternimur, vel Pelasgâ: non vno Sinone, in ruinas nostri Ilij intento, fallor, si non vltra voto tendit, vt ne ruinam quidem huic Regno relinquat. Heu quàm infaustum fert omen, præsens non vano signatus Nomine Martius, qui nobis Ianum non jam recludit, olim apertum, sed acuit: quàndo totum Septemtrionem in cruenta Gradivi negotia, conscriptum, & huc motum, in nostras voluit cervices, quibus non Atlantis, nec Herculis vires supersunt? Eo rerum deuenimus, vt nostris vulneribus, hostium arma, exhaurire iubeamur, semper inulti? Quàm penè in omne discrimen retecti, ad Clypeos respicimus, quibus vel ex cortice factis, delibratisq; arboribus, ad stratagema doctus quendam Lescus I. ad victorias hoc Regnum extulit, aut quos paulo ante Aquila nostra, pro

infracto munimento, in pectore, & delicijs, habuit. Quod si hæc vindicis Iustitiæ manus, ex merito nos tetigit, jam nihil de nobis ô Superi querimur! innocenti Sponsæ, parcite Ecclesiæ: cuius hîc etiam non sinistrum latus, ab iisdem quibus nos, Acatholico veneno illitis armis, laniatur. Hæc Catholica Mater, eodem cum fideli populo, semper inuoluitur turbine & incendio, singulosq; nostros pulsus sentit. Hæc ni tutamen habeat, ad vnam cum libertate arenam non prouocatur, sed velut a templo, sparsis Cassandra capillis, trahitur, & nisi fortior Choræbus mutato succurrit Clypeo, iam sub tributo facta, si non captivatur, certè eâ, qua nobis prominet, parte, an possit truncari, exploratrice ferri acie, probatur. Porro in tantis discriminibus, quæ Orbem gladijs dissecandum, sæpe subijciunt. & in cuspide ponunt, nisi Superûm miseratio succurrat, & effusum fatorum cursum, reprimat revocetq; certè iam in antiquum omnia redire chaos, erat necesse. Romuleum Orbis caput, septicolli cervice, nunquam se in tantum erexisset, quin cum Sacra Numæ religione, circumquaq; obiacentium hostium pede, caleatum fuisset, nisi ei, a propitio Cælo, delapsum fuisset Ancile, unum omnia contra tela Latinorum, Senonum, & cæterarum Gentium, quas æmulatio livore, livor rabie, accenderat. Sub hoc tamen Ancili, quasi adhuc protectioni non sufficiente, quàm vehementer Capitolio, Divorumq; delubris trepidatum! dum conjurantibus cum Annibale fatis, idem malleus Alpes, totamq; Italiam concusserat; illiq; Mars correspondere visus, dum ejus simulacrum hastam vibrare prodigiosè apparuit, ultimam, Nepti urbi stragem minitando: nisi alter Clypeus, pari prodigio, pro tutamine Prinpipis Vrbium, de faventiori Cælo, prominere visus esset. Si tantos gratiarum cumulos summi Numinis injuria, Ethincorum pietas, non tam mereri quam experiri potuit? quidni Sacer Christiadum populus, electa animarum portio, siderei hæres Olympi, jure potiori speret? quidni cognata polo Polonia, iam tandem placidiores influxus, capessat? & Sacrosancta Mater, Ecclesia Militans, si dehiscit in armis, nova præsidia, a suo Imperatore Christo expectet? Expectat sanè, timori & spei interposita; iamq; spes melior vincit metum, & votorum summa triumphat, dum provocatæ ad tanta discrimina Ecclesiæ, hodiè demùm solenniter sacræ manvi inseritur Clypeus, infractus, & omnes periculorum ictus supereminens, non quidem vertente huc Perseum vel Orionem Cælo, sed annuam Divinissimi Thomæ Aquinatis festivitatem revolvente. Hic Angelicus, vel potiùs Divinus Doctor, à primo flore juventæ, tot adversis malorum jaculis, pro scopo expositus, & pariter a novercante fortuna, quàm à Minerua, in sinistra versatus, sic induruit, ut propugnandæ Ecclesiæ, contra hæreseos monstra, solidum opposuerit pectus, eamq; usq; ad Triumphantis, honores extulerit: & nunc sponte influit, ut dum Martius pariter aris ac focis sæua omnia minatur, Cyclopibus cudenda fulmina mandat, & vel ipso Nomine hastilia vibrat:

Di-

Divus Doctor, iam pridem Superûm consortio gaudens, opportuna solis revolutione, de Cælo, *Tutamen & Clypeus* Militantis Ecclesiæ, delapsus dicatur.

Ibis nunc Doctor Divinissime Clypeatus Ecclesiæ Militantis Defensor, vel Clypeus ipse, per devotas aures, Nobilissimi Auditoris, ibis, non sesquipedali facundiæ cothurno, sed gressu minuto, infantili, & qualem ex cunabulis formabas: exiles Eloquentiæ meæ rivuli, nec clarè quidem tuis laudibus obstrepent, nisi eos Aquinatico Tuo inundaueris Flucto. Clypeus es? en ego dum Tuo Nomini militare intendo, ipso accessu, trepido, vincor non ferente acie mea, Phœbeos te jaculante splendores; huc igitur primo tuum verte Clypeum, ut eo protectus, securo linguæ pugilatu, cum ingenti laudum tuarum difficultate, valeam decertare.

Plus quam decumanum versare Clypeum, imbelli brachio, ullatenus audeo nec possum, nisi adivuante attentâ gratia vestrâ, qui hujus Ecclesiæ columina estis, cuius Thomas Clypeus: si non Mártem, certè Martium agitis? aptate beneuolæ menti Clypeum, supplex posco.

Immanis bellorum Lerna, stagnanti cruore, sanieq; terras inundans, adeoq; continuum vitæ mortalium, naufragium parans, si nos exasperatos eò permovet, ut inuentorem ferri, & eum qui hauriendo sanguini humano, mortiq; mille vulnerum ostiis accersendæ, primos protulit enses, diris deuouere & Stygio Diti addicere debeamus: certè illi benè precari, & defenso pectore, meritas depromere grates erit necesse, qui primus Clypei Auctor exstitit, eumq; iam metæ Gradiui, capiti nostro, prætendit. Ferreus namque ferri repertor, heu quantum in Creatricem rerum Naturam piaculum admisit, ipso nonnisi Pchlegetonte expiandum! qui non sinens inermes ab ea formatos homines, quos cãdida pax deceret, fecit parricidas, dum ab ipso prope Tartaro, ferrum scrutatus, in humanos abusus, aptauit. Vtquid Cyclopes anhelantes agitant folles, & animam igni inspirant? nisi ut homines exaniment, ijsq; rogum accendant: utquid crudus artifex ferrum coquit? nisi ut paratiorem mortis bolum, porrigat. Nunc demum Vulcanum Summi Iovis Iunonisq; filium, de cælo deiectum, mirari desino, quoniam in ferrum degenerans mens ejus, inter cælestes ignes, tam durum metallum versabat: cum quo tandem nouus inuentor, in Liparam sese deuoluit, ex terra quoq; ad profundum Erebi depellendus, nisi Clypeum etiam, ad Troica bella, fabricâsset. Vel si ex Sacris veritas eruenda; stimulus ad Clasßica Tubal non potuit, nisi scelerato suo inuento perire; dum vltore Patre, ex visceribus terræ erutum, intra sua viscera, quasi dilectum, accepit ferrum, ad internecionem. Clypeum certè, infractum pectoris munimen, credo genium aliquem, sistendo sanguini humano miserentem, & conseruando generi mortaliũ, procudisse. Quam penè centies quadragies Romanum Scæuam, fata per vulnus rapuissent, nisi in obiecto Clypeo

ejus, tot tela sedissent. Remisisset Orientis frena, antequam bene prehenderet Macedo Magnus, & arenam fluminis Granici paruo corpore mensus fuisset, nisi instantem hostilem gladium, à nudo ejus capite, amicus Clytus, Clypeo, avertisset. Naufraga spes, Cæsarum Iulius, sine anchora, in Oceanum præcipitatus, sidus illud suum, necdum irâ Senatûs accensum, quo postea aulam sideream auxerat, in æquore penè extinxit: ubi non iam fortuna Cæsarem, sed solus Clypeus, ad portum Alexandrinum extulit. Te mihi iam sonant isti Clypei Thoma Divinisime? quibus non Granicus amnis, nec Cæsari superatus Oceanus, placidis alludit undis, sed gemmifluus Hydaspes, Illustrisi na inquam Comitum de Aquino Familia, septemplicis Ostia Nili superante, quia triplici & pretioso susurro, abblanditur. Tu Doctor Divinisime, adhuc in utero Matris, in Clypeum paruos colligis artus; & velut Ancile, in viscera Theodoræ, cælitùs lapsum, ingenti sonitu, per fatidica Dodoneæ sylvæ æra, repercussam prouocans Echo: quando pius Anachoreta relinquit desertum, & diuturnô silentiô, compacta in oraculum verba promit: Domum Thomæ, esse Regiam Phæbi, ex qua ille ortus, in pectore Clypeum, in Clypeo solem, nitidisimos Sapientiæ radios spargentem, Orbi circumferet. Nimirum Augur Apollo, præsentiens iam Diuiniorem Musarum Præsidem, ex Aquinatica Hippocrene, non uni Heliconi, sed toti Orbi aureos imbres daturum, concutit Eremitæ pectus, & in ultima per os, sideribus accepti Vatis prorumpit verba; non ampliùs arcana fatorum, & Sapientiæ locuturus, dum Thomas vagire incipiet. Mox illi nascendi, dum implentur dies, Oraculum non impletur, sed superatur. Prodit enim, non tantum in lucem, sed maiore sereno, aucturus lucem Thomas; infans & jam Phæbô major; prodit ex Aquinaticis Vndis, pulcher lotusq; & qualis ex Tethyos regno, radiantes promens crines, emergit fons luminis. Ab Aquis prodeuntem Thomam, ne crede instar liquidi elementi mollem: indurat namq; membra in Clypeum, in quo non Romanæ quondam superstitionis Pontifex Iulius, sed tota Ratis Petri fluctuans, ex procelloso Oceano, valeat, ad triumphalem portum, enatare. Non solus mihi Scamander & Xantus fluvius, scuta virûm voluit; hæc etiam ex Aquinaticis emergunt Vadis, Piscatorium Tiberis littus, & rete in Christiano orbe extensum, protectura. Ne verò Sanctior Clypeus Thomas, solis Aquis, ortum debeat, disimilisq; Scuto Pelidæ appareat, cujus non tantùm Thetis, sed & Ignipotens Auctor erat, Siciliam quoq;, suo Natali affinem accipit, non ea parte; qua fervet geminatis ignibus Æthna, & ferream Cyclopibus pandit officinam, sed illâ qua ardet Regale Serenum, & Trinacriæ thronus, muricis accendit flammas. Thomas nimirum Divinisimus per Arragoniæ & Siciliæ Sceptra, suos numerat Proavos; sicq; per cognatum sanguinem, Siciliæ imperans, super saucia terga Gigantum, Ecclesiæ Dei minitantium, congestos inuoluit montes, & contra Typhoia tela, Clypeum tendit, eô, Hæretico Encelado ob-

do obtundens fauces, ne ampliùs ſpiret inexhauſtũ flagrãti pectore ſulfur. Affine cognatumq; habet Siculum fretum Thomas, quid mireris, ſi ei Scylla vorax, & implacata Charybdis allatrabit, illæſo tamen, ut qui monſtris his imperando, inter illa medium virtutis bene novit iter. In originem Thomæ dum Arragonius apex influit, eum ad aras injiciat, cui non mortale faſtigium, ſed thronum Excelſi Eccleſiam propugnare, deſtinatum. Cum tam amplis ſpebus nato Thomæ, en Cælum ipſum è longinquo applaudit, quando ſoli Reginæ Cælorum miſſum quondam, nunc demittit Aue; ut ſimul recens natum ſalutet, & Conceptibus Sapientiæ fecundet. Folium certè crediderim vel ex arbore vitæ, lapſum, vel ab illo Cæleſti, Divinæ Copulæ Paranympho latum, venit in manus Infantis Thomæ, ex mente Divina impreſſos ferens characteres; nimirum Salutationem Angelicam, qua jam Diviniſsimus Infans in Doctorem Angelicum ſalutatur. Hic dum tenellus Thomas miratur chartam, ego miror Thomam; Infans eſt, & innocenti vagitu non niſi linguam exercens, & jam arcanô Numinis indiciô Salutationem MAriæ legit, percipit, adorat. In amore video nutibus agitur; hîcq; Thomas, non tam legit, quàm diligit MAriam, & ideo ante characterem cognoſcit, quid hæc Mater ab illo velit; & quaſi tacitæ nutus chartæ illa ſonaret verba: Fili præbe mihi cor tuum! mox Thomas, cùm tenellis manibus pectus ſuum aperire non poſſet, chartã illã Cæleſti ambroſia, quia Nomine dulciſsimo MAriæ, illitam ſuaviſsimo guſtu deglutit, & Matrem MAriam cordi ſuo circumdat, non aliter meliùs in filium ejus adoptandus, & quosuis ſui cordis pulſus, illius amori & honori crediturus. En jam paruo Thomæ, Magnus cedit Auguſtinus, & vinci gaudet ab illo; ille quippe dum altiſsima Omnipotentis Myſteria mente volueret, comparatus puello, totum Oceanum in parvam foſsulam transfundere incipienti, ſed non transfundenti: at Diviniſsimus Thomas hoc impoſsibile abſoluit & peregit, quando ingens, gratiarum Mare Mariam, in ſe paruulum transfudit & hauſit. Providiſti Thoma Diviniſsimè maturè, ne eſſes parmâ ingloriis albâ, qualis tyronibus Romanorum dabatur. Clypeus nempe omni ſtemmate nudus, ut eousq; eſſent ignobiles, quoad inſigne ſibi virtute acquirerent: reprobans enim ſimul & imitatus Meſſenios, qui primam ſuæ Gentis notam ſcutis inſculpebant, non tuum ſed Mariæ Nomen, tibi ipſi, ut Clypeo, imprimis, dum pectore condis. Non inuidemus Æacidæ Clypeum, in quo non tam Vulcani manus, quàm Homeri ingenium, mirâ arte cælum, Oceanumq; cælauit, quando in te Diuiniſsime Thoma Mariam, & in ea Conditorem vniuerſi, veneramur. Sic Thomas magis Dei Matris dulci Nomine, quàm nutricis alimentô ablactatus, augeſcit maiore animi, quam corporis incremento: creſcit totus ſe ad ſidera tollens, & vitæ ſuæ primæuam Cælo porrigens herbam, qualis olim in ſcuto picta, *Tutela pignora certa*, referebat. Illi ſe tota de Cælo infudit Hebe tenerorum nimirum annorum præ-

ſes;

ses; annuente ipso Ioue, & in ejus locum sibi Ganymedem substituente, ut illa Thomæ cælestes succos, & vernantis ætatis flores, circumfundat. Primo igitur lustro, ad discernentiam boni maliue illustratus, & ab hoc annorum numero excentricos suæ animæ sensus in numerato & custodia habendos, ratus, secedit ab Vrbium fastu & astu, ut in solitudine soli DEO vacare valeat, & teneram adhuc vocem, ad sacros choros, cum avium cantu conformet. Relictis mænibus, currit ad amænas syluas, ut jam posito suo in arbore Clypeo, trophæum Deo & Ecclesiæ erigat, & in illo silentio, pretiosa sui Scuti æra, Dodonæis lebetibus sanctiora, ad futurum Oraculorum sonitum accommodet. Vbi cùm virtutum magisterio, aliquot litâsset aristas; tandem suis umbris, securè tegendas permittens syluas, huc se conuertit, unde ad eum culta Minerua, dextram tendebat inermem, Sanctiorem Clypeum poscens. Ex Aquis Aquinaticis prodeunti Thomæ, & littoreis eremi arboretis recreato, obvium erat in arena literaria considere, quam aureis ramentis permistam, amica offerebat Neapolis. Hic ille Gentilitijs suis Fluminibus, Hippocrenen, velut Alpheus Aretusam sectans, non tam largifluos eruditionis inuenit fontes, quàm suo fudit ingenio; ut crederes modoprimum suauissimam Sirenum Parthenopen, in illud littus cum Thoma emersisse, quæ etiam ferratas Ithaci aures, in cereas emolliret. Insertus pro Clypeo in dextram Mineruæ; ipsius etiam capite dignus, Iudorum Apollinarium gloriâ totam implet Campaniam, præcurrens hîc etiam Papyrium Cursorem, cui in Clypeo Pegasus, Musas vehens, sculpebatur. Præscia mens Vatis Romani Virgilij, forsan hac de causa, suos cineres Neapoli, ultima voluntate, legavit; ut ejus Parthenopesq; mistis cineribus, tener Phænix Thomas foveretur, & ad primas eruditionis scintillas incalesceret; Vtq; parte sui meliore post fata superstes Maro, Clypeum nostrum Thomam, ibi admiratus, perpetuò caneret, Arma Virumq;.

Ibi continua literarum fruge adolescens, plusquam Publij Sirenisq; per secula expectantem nactus animam, artes humaniores, in se Angelicas, vel Divinas fecit, tam amplo proventu, ut nisi eas in Sacrum repositorium inferret, in Orbe dignum & capacem locum non haberent. Advertit Divinissimus Thomas, quàm speciosus esset Clypeus Osiridis, capite canis insculptus; se quoq; Clypeum, intimiùs iam Mineruæ pectori admotum, eo transfert, ubi Dominicanus Catellus, cumposito nutu illi abblandiebatur, & ad se exactè insculpendum, allucebat. Hic fidelis Domino Exercituum Canis, Ægyptiorum aris & pio thure dignior, quàm quondam lattator Anubis, honores facundi Cyllenij, & Cæli radiantia spatia meritus, in præda facem pæne Phæbeam, aut lumen gloriæ tenens, subodoratus quantum Thomas saperet, non deterret eum vigili latratu, a Religioso claustro, quinimo prælucet, ad hoc virtutum & perfectionis habitaculum, gradienti. Dixisses hic iam Thomam Cælo deuotum, velut invictâ Orionis manu teneri, non amovendū;

nisi

nisi ferrea fortuna, perpetuos in armorum serie ageas ludos, rem aliter inverteret. Mater Thomæ Theodora, omne Dei donum, & omne probitatis momentum cum sanguine in filium ubi transfudit, crudum nonnisi fel sub suo pectore volvit, & ipsi inimica Cælo, quasi Thomas Matri non viueret, si Deo vivere sanctiùs incipit, violento raptu contendit, cum potiori Matre, Religione Dominicana. Itane Matris stipata furoribus, bella mouet Clypeus, deq; armis arma feruntur? sic est, ô dementia! Troiana redeunt tempora; pellax Vlysses & Aiax, nexu scelerum & doli, fratres, Clypeum nostrum petunt: mille dolis & arte Pelasgâ instructus Vlysses, sales seminat, ut condito ioco capiat; & fraus votum implet: quando innocens Thomas manu geminorum fratrum, ex securo Religionis rapitur, & ad expectantem trahitur Matrem. Heu quam anceps fortuna, in sua sinistra nostrum versat Clypeum, in ipso Matris Theodoræ affectu, novercans! Positus enim Thomas, inter reuerentiam & malitiam; inter amorem & furorem Matris, dum ad deponendum Religionis propositum impellitur, ipsas Erynnes, Diras, & cætera Erebi monstra patitur; his tamen omnibus vincendis, par & præpollens. Precatur Mater, velit Aquinas, luxu & delicijs diffluere; familiæq; suæ splendores etiam Phaetonteâ augere favillâ; ea sorte natum, ut hîc congestis ex orbe voluptatibus honoribusq; fruatur: Religionis austeritatem, meram vocat superstitionem. Thomas tamen, non suam sed Dominici Familiam, sibi colendam decernit, in qua jam Cæli delicias degustavit. Mox illa in lachrymas effusa, per hasq; eum obtestans, piam se Nioben fingit, cum Althleam Medeamq, præstet; sed hæ guttæ saxo duriorem Clypeum minimè cauant, nec ullam rimam illecebris aperiunt. Tam durum & ferme adamantinum non ex se natum credens, totam exuit Matrem, & cæco irarum furore afflata, Thomam luci subtrahit, squalido carceri mancipat, non aliter pedes compedibus solutura, nisi via iniquitatis gressuro, & mundi laqueos, pro animo accepturo. Ad Clypeum Thoma! nunc totis in vulnera viribus itur. En Mater aduocat sanctæ tuæ peruicaciæ vindicem, Magnum Deum; (si eloqui fas est ut Cupidinem Pòetæ vocant) qui plausis volucer alis, in te pariter tela & faces, suâ depromit pharetrâ, lunat sinuosum arcum, & illud intendit telum; quô quondam læsit Apollineas, traiecta per ossa, medullas. Ast ecce in Clypeum incidit, & irritì ictûs pænam, cum Scævola in ignibus, & sub ardenti titione, agit. Subornat quippe Theodora velut noua Phædra Corinnam, ut ea Hippolyti nostri, ingenuum oppugnet pudorem; quo Sancti propositi, firmissimô propugnaculô expugnatô: sperabat pronâ viâ se cohortem vanitatum, in pectus Thomæ inducturam. Vidit in casto pectore Thomæ, purissimam Stellam, hanc igitur de pectore ejus detrahere nititur. Circen dicerem: nisi quod hæc Solis filia esset; illa Solem genuit Thomam: in illius verò stellæ locum Cythercam sufficere vult, ut hoc Phosphoro, lubricam adolescentiam

accendente, lætos in mundo Thomas ducat soles; ignara, quia tale diluculum, propera excipit vesperugo, & æternum minatur occasum. Effrons igitur, & tamen formosum idolum, huc accedens, molli gressu carceris limina lambit: promit per ambagem byssina verborum retia, mox in illa Vulcani, abitura, quibus se nec Mars ipse, quondam explicare potuit. Agit lenocinijs, suspirat, blandā animæ pestem, inspiratura, compatitur non digna ferenti; misereretur tam duræ sortis, quod Thomas, nontantum rigido Matris prematur carcere, sed seipsum quoq; lege pudicitiæ, & verecundiæ stringat cesto. Si Clypeus est; utiq; habet sua castra Cupido, hæc sequatur: en Cythereides tendit cum arra manum. Memorat quam pulchrè quondam Clypeus Alcibiadis enituit, in quo erat aliger Cupido pictus, molli dextera fulmen complexus. Ad nomen Cupidinis, exsurgit irâ percitus Thomas, & ut se memorato Clypeo conformet, contra præsentem in Taide Cupidinem, fulmen vibrat, apprime Iovi Enceladū ferienti, comparandus: igneum nimirū titionem rapit, hunc attrectare malens, quàm viscosas Helenæ manus: & Cupidini illi, carboni infernali, tales in reciprocū reponit ignes: eam ardēti torre ferit, ut ei decipientē nitorē depellat, & talē inurat colorem, qualis erat tota intus. Io triumphe! victorē Orbis vicisti Thoma? excessit, erupit Aquinatico æstu superatus ignis, fugit perustus Cupido: & qui plurimos, heu impotentia, se se facile dedentes, in fædum mittit carcerem: hic tuo indignus carcere, *jam* Stygios solicitat postes. Nunc primum Clypeo Tarpeiam, fudisti; superâsti. Spectabat intentè Cælum, tam heroicè certantem, & Clypeo forti, totam Cyprigenæ pharetram, reijcientem Thomam; nunc sibi carcerem præfert, ad eum properat, in quo tam Sancta nata est adorea. Ad continentem quippe Thomæ carnem, certatim cælestes descendunt Spiritus, hic etiam Sanctus ingeminaturi, ubi plusquam Angelicam advertunt puritatem. Ferunt Thomæ Niceteriū, diceres quod Gnosiam e Cælo Coronam, nisi hæc parua & munus Bacchi esset. Non vulgaris Victor Thomas, totus coronandus erat: balteum igitur ferunt: Zodiacum etiam laturi, nisi ibi Virginem, & in Sagittario Cupidinem timuissent. Præcingunt Thomam, bullato stellis munere, ut Cælestem amplius in terra vitam agat. Balteo vix præcinctus solvitur carcere, & ad Dominicum perpetuò prætextatus redit. Excipit Sacra Dominici Familia Thomam, tam ingenti plausu, quam amissum, diuq; quæsitum, Aristomenes ex antro Trophonij, excepit Clypeum, non Phebo, sed Religioni & militanti Ecclesiæ dedicandum. Aptatur ad hoc, à Magno Ratisbonensi Præsule, qui vel ideo Episcopale pedum posuit, ut Clypeum Militantis Ecclesiæ Thomam, commodiùs acciperet excolendum. Disce a Magno, Major future Thoma? disce Orbi, quod quisq; sibi; & Aristotelicis inerrans chartis, Antiquorum errores cognosce, ut corrigas. Orbem Orbi, sui ipsius adhuc ignaro, explicare debes &

descri-

describere, verè Achillis Clypeus, ideam præsentans universi. Agit hoc accuratissimè Thomas, cui, Musis Sacra facienti, Aurora magis amica, quàm quondam Tithono, vel Cephalo. Abstrusa Philosophiæ nunquam aliter orditur, nisi diu contemplata arbore, non Porphyrij sed Crucifixi: novit perbellè, ab illa immensum removeri Deū, in hac pendere affixū; hanc igitur amplectitur, ubi advertit in arbore Scientiæ, Fontem Sapientiæ. Ex hoc dum minimo susurro passim manantes, in suum pectus deducit eruditionis rivos, dum ad Socraticos tumultus, non in lingua, sed in corde verba concipiens, Pythagoricò os stringit silentiò, dum simplex, in literaria arena, iugi sudat exercitio; nescio convitiòne, an elogiò, bovis titulum incurrit? Bos est, sed literas non littus arabit, ad amplissimam Scientiarum messem: Aquinaticus est, & quasi Deus Aquarum Achelous, bovis saltim titulum, non formam induere debebit, ut Hæreticos arietet Tirynthios· In hunc Bouem, Iupiter ipse mutari vellet, ad provehendam altiùs, orbe ipso, Christianam Europam. Si bouis exuviæ, construendo Clypeo desiderantur, si eruditarum Athenarū Princeps Theseus, bovē in Clypeo cælatū pro monili habuit: quidni Divinissimus Thomas, Clypeus Militantis Ecclesiæ dicendus, torosi bouis effugiat Nomenclaturam? Et ne vili gramine pastum credas, selectissimas & in caput loquax, ab Alberto compositas herbas, absumpsit, vel ideò ut nulli in posterum herbam porrigeret, in sublimi eruditione, nunquam superandus. Vidit Albertus, nec quidquam latuit Magnum, quanta Minerua in capite Thomæ conciperetur, novas igitur linguas illi salutando struit, & unum Thomæ dicendum salve, tot annis format, mirabili artificio, ut si natura plerumq; balbùtiens, prædicando illi tardaret, ars expeditior, iam suum Doctorem loqueretur & salutaret. Illud tamen caput destruxit Thomas quia Hæreticum existimavit, quod erat sine corde: seu ut Magnus, solo instructo Thomæ capite gloriaretur, seu, ut iam Clypeum, Gorgonea capita formidarent. Iam omni capite major Thomas, profundissimos Scientiarum Euripos cælitus accepta mēte comprehendit. Namq; injunctas publicè Quæstiones, sic defendit, ut vocatæ veritatis in arenam, Clypeus esse apparuerit, & surgere pro invicto Ecclesiæ antemurali. Consensu tandem totius Augustæ Religionis inseritur cathedræ Professor, gemmã annulo, Clypeus eruditorum trophæis. Tum demum, ex Aquinaticis Fluentis, ipsa promanauit ambrosia Divinos Platones factura, si quos etiam Philonides inuenisset. Dumq; Thomas, vorticosum Euripum, pretioso suo alluit Gange, & ab auro scintillante arena literaria, omne illius illustrat turbidum; en tempestiuis Ethesijs, ad Cælestem allabitur Eridanum; ut quem Hæretici Phaetontes, erroneo funestarunt casu, ipse splendidioribus Scriptorum elucidet monumentis. Nempe res Divinæ, humanis rebus, iam dudum eum invidentes, plusquam expectatum, eo acceptant gustu, quo sonantem Palladis ægida a Phlegræis fratribus, oppugnati Diui, acceptàrunt. Scandit quippe Theologicum fastigium tantus, quantus

Sol nitidus scandit augem, multifidos radios iaculaturus, & minora discentium astra, ad evibrandas Malæ fidei bubonibus pupillas, accensurus. In illustrandis Sacris Mysterijs, rectè diceres Thomam, clarè ingenijs influentem Intelligentiam, aureos Solis currus moventem, vel Solem ipsum quoniam & Sol, Dei Clypeus esse ab eruditis Vatibus, nuncupatur. Illud mirum, quod Phæbus iste, Daphnem non insequitur, sed fugit: scilicet pridem emeritam laurum. Fecit, docuit Thomas, iam vel Evangelica veritate Magnus, & paralissimæ laurui probatur: ille tamen Doctorali Coronæ verticem subtrahit: quoniam profunda ejus humilitas, sibi nimiùm displicens, maluit Tauri quàm Doctoris titulum audire. Vt tamen verò-veriùs deduceretur, quòd emeritam bouis virtutem, quamuis fugientem, honos sequitur, ut corpus umbra; en ab Elisijs campis, advolat umbra, festivius quidquam Cupressô præferens, quæ in apparitione, hortatur Thomam, velit laurum sumere, sub cujus auctoramento, à Militante Ecclesia, fulmina reijciat. Igitur alterius etiam Orbis calculô, ad Doctoratum provectus, consurgit in Diuina, iam pridem homine major: qui non tam ratiocinatus, quæ intelligens, & elevatissima mente, Deum, in eius abysso, conveniens, in tantum sapuit, ut si Angelos Auditores haberet, habuit, quod doceret. Angelicus Doctor vel aliger Angelus ipse. Hinc eadem Angelicâ pennâ, quâ Dei remigabat gloriæ, ad Hæreticos conversus, adeo pungebat, ut acuto Vmbone præfixus crederetur, Telephi vulnera inflicturus. Conticuere omnes, impiè ampullantium Hæreticorum buccæ, dum Divinissimus Doctor, bifido calami ore loqui insisteret, & infame virus eorum, nigrâ sepiâ, delere. Vnus Buccerus, plusquam Encelado sibi confidens, & tamen à Clypeo nostro ad incitas rejectus, plusquam omnibus attribuit Thomæ: dum rigenti exposuit ore: Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam. Advertit cominus Hæreticus Myops, legitq; illud, è scuto cuiusdam iactantioris in Clypeum nostrum, iure potiori translatum omnia; quorum singulis, perfidia illa impar, doluit, quòd Militans Ecclesia, tam firmo clypeat munimine dextram, & Catholicum seu Vniversale, tutantur Omnia. Divinissimus enim Thomas, postquam Magistro sententiarũ, scribenda adscripsit: exin cum Prophetis prophetizans Interpretum Numinis, clarior Interpres remotâ cortinâ Oracula pandit. Cum Doctore Gentium, Angelicus Doctor; cum testibus Evangelicæ veritatis, insignis Authographus: cum Iob, patiens laboris, illius visceribus, calamum imbuit; prorsus omnia Thomas erat, quidquid singuli, pro præsidio Ecclesiæ, in Sacras paginas congesserunt, hoc totum ille, in Clypeum roboravit. Adeo peritè fidei Anathomen exercuit, ut singulos eius articulos, Gigantis pollice notiores, monstraverit. Mysteria SS. Triados, attributa, & Relationes, sublimiter scripsit; quasi eius ingenium, proximam Relationem haberet, ad Patris Sapientiam. Summa Theologici operis, summô pretiò æstimanda, Persicas excedit ga-

zas,

zas, & ipsam gemmeam Darij Dactyliothecam. Tot tantisq; voluminibus, commendo & tutamini Ecclesiæ datis, diceres Thomā, totum in paginas animum effudisse, non effudit. Capacissima mens eius, etiam se se identidem Cælo infert, & inscribit; quando ingentes Orationum ardores; ad sidereos eiaculatur ignes, vel eos in devotissimo pectore collectos, in Solem efformat, quo Soli Iustitiæ, amoris parelia pingat. Inter maximos omnigenarum virtutum actus, & sulcata paginarum æquora, non tepidæ devotioni sic institit, ut dubites plusne eum libro, an cum Deo loqueretur; plus, ne sepiæ an lachrymarum fuderit, & in lachrymis, placando Numini fusis, sic incalvit, ut æstuante spiritu, ad altissimum Centrum, Deum, elevatus an raptus, viuens adhuc, toties terram & corpus desereret, in admirandis exstasibus, Patriæ dulcedinem prægustans. Defensurus summum Romanæ Fidei Capitolium Clypeus noster, sic ultra se elevari debuit, cùm nec olim Antonianus miles, caput suum & Romæ, aliter à Scycharum iaculis defenderit, nisi elevatis supra capita Clypeis. Felicissimè tandem, Navi Ecclesiæ dum paginis velificat, calamô adremigat; apparent ei non Castor & Pollux, sed duo Ecclesiæ lumina, Petrus & Paulus; a quibus in sociale tutamen invitatur, cohortante Cælesti apparitione; ut si ferocissimos Cinægiri morsus, a Navicula Petri, rete Piscatorium, & Pauli gladius non sat adverteret; Thomas ipse illis auertendis, Clypeus esset. Præiuit Vicarius Christo Petrus ad Thomam, sequitur ipse Magister, quo præmisit Apostolos. Equidem dum Sacrorum librorum ingens opus fert Crucifixo, consumatum, ut illud in approbationem, Clauo Sanguini Christi immerso, quem dextra tenebat, subscribatur: en Christus, sit licet felle potatus intuitu Thomæ, in mellea difluit verba, & quali suauitate Aquilam Ioannem olim allocutus, de Cruce alloquitur Thomam: Bene scripsisti de me Thoma! Subsiste iam lingua mortalium, & laudatori Deo cede Panagyrim Thomæ? ille qui uno complectitur omnia verbô, hoc compendio verborum cuncta elogia complexus, nihil tibi reliquit, meliùs dicendum; mirare satiùs, eo Sapientiæ & perfectionis provectum Thomam, ut Deus ipse, eum per suum approbet Bene, & infinitæ suæ bonitatis titulum, inter se & Thomam dividat. Adverte & tu a quo dissentias, qui reijcis Thomam: viam Thomisticam Christus approbat, eam ipse ingressurus, nisi Cruci affixus, & nisi ipse Via & Veritas esset. Quidquid scripsit & erudito calamo exaravit, sic crede scripsisse, quasi moderatores calami digitos, lateri Domini intingeret Thomas, & de vulnerum Christi charactere, suam eruditionem desumeret. Ad Cantica adhuc, dum calamos inflare bonis illustranda incipit, mortem ad se dulcedine cantûs allicit, quæ nunc eum prævenit, ut qui sanctè vixit, lætissimè & cantando, illam obeat, non amaram. Moritur Thomas, qualis in suo Clypeo Epaminundas, & illi inter tot reie-

ctos a militante Ecclesia ictus, nunquam amisso, ultimo spiritu fatur: Bene res habet. Ergo Cælum petit noster Clypeus, & in manu Orionis oritur, vel Medusam de Persei manu protrudit? Potuit hic æmulo Dominicanæ faci sidere fulgere Clypeus noster, nisi eum emeritum Militans Ecclesia, altiùs attolleret, & Triumphanti Ecclesiæ porrigeret, ut trophæum immortale. Perennat igitur cum Domino Exercituum Clypeus Ecclesiæ, & plaudente Angelorũ militiâ, in signum triumphale erigitur: sed ut Romanum Ancile, toties Cælo delabitur, in præsidium Matris Ecclesiæ, atque in tutelam DEo Militantium, quoties a Te, sanctior præsidiorum Ecclesiæ Officina, Inclytissima Dominicana Religio, sacris inde precibus evocatur. Tu Cælô lapsum, non inter duodecim similes, ut olim Romæ, sed innumeros inter, excipis & locas, sanctiorumq; Corybantum manu quotannis circumfers, in solatium defensæ Ecclesiæ semper apud Te, aureo Prædicantium ore, Regum Regis responsa ferebant, tercentum scutati omnes, sed hic decumanus Clypeus, usq; ad thronum Altissimi eminens, Te Cœlo vicinam extulit. Tu Divinior Eurybia Dominicani Luciferi, & innumerabilium Stellarum Mater, stelligerum pectore Clypeum gestiens, illam Epigraphen mereris, quod sis *Lumen & Tutela* Ecclesiæ DEi. Ignosce nunc Africane, si torpenre Polonorum dextera, & hebete gladio vaginam stupente, in oppositum tuæ sententiæ maiorem spem in sinistra, tantum Clypeum gestante ponimus, quàm in dextra. At tu Divinissimæ Thoma, totus in Clypeum, Orbium Cœlestium æmulum, exurgens nunc, nunc, terris illabere nostris, & ab inundanti iaculorum grandine, protege Orthodoxam Matrem, cuius interim retecto lateri, in campo Poloniæ exotica imminent tela. Sceptrigera Mater Vniversitas, quæ tua semper defendit dogmata, fac à Te Clypeo, perpetuò defendatur. Si testudo Militaris, ex compluribus Clypeis, ordine iunctis, militantium capiti impenetrabile struebatur antemurale; idem nos modo poscimus Thoma Divinissime, iunge Te, non testudinis morâ, sed serie, cum Sanctis istius Regni Patrónis, & pariter Gradivi, ac vindictæ Divinæ tela, a nobis averte; ut dum in mundo militamus, simus adversus, tua protectione Clypeati.

DIXI.